



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 64. Tres Cardinales a Papa creati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul XVI diis alieno egerant, (*) sperari possit
 A.C. 1560 operæ pretium: insuper Papa, in pri-
 vato sermone tam cum Cardinalibus,
 quam cum Principum legatis habito,
 ubique suum de Concilii instauratione
 propositum aperuit.

§. LXIV.

Tres Cardinales a Papa creati.

*Ciaccon in
 vit.*

Pii IV.

p. 889.

Pallav. l. 14,

c. 15. n. 1.

Exeunte Mense Januario feria quarta
 die trigesima prima ejusdem Men-
 sis Pius Pontifex tres Prælatos purpura
 decorabat, cumque Medicææ familiæ
 nomen, & insignia adoptasset, præpri-
 mis Cosmæ Florentino Duci suum testa-
 turus affectum Joannem secundo-geni-
 tum illius filium vix decimum sextum
 annum ætatis suæ egressum Cardina-
 lium Collegio adscriptis, is que ipse Flo-
 rentiæ Cardinale Thesaurario, Ascanio
 Sfortia, & Guisio, qui Ducem eo vi-
 sum venerant, præsentibus Galerum re-
 cepit, primo nominatus Cardinalis Dia-
 conus tit. S. Mariæ in Dominica, postea
 Pisanus Archiepiscopus. Alter erat
 Carolus Borromæus, Papæ Nepos Gil-
 berti Borromæi & Margaritæ Medicææ,
 quæ summi Pontificis Soror erat, Fi-
 lius,

(*) Continuator hæc de suo addidit, non
 contentus iis calumniis, quæ illius Magister
 Sarpus in Pontificum invidiam evomuerat.

lius, qui anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo natus postea ingenti Sanctitatis fama inclaruit. Denique tertius nominabatur Joannes Antonius Serbellonius ex nobili Mediolanensium familia ortus, qui primo Fulginensis, demum cedente Cardinale Morono, Novarrensis Episcopus est renuntiatus, nuncupatusque vulgo Cardinalis Sancti Georgii, eoquod Presbyter Cardinalis esset titulo Sancti Georgii in Velabro.

§. LXV.

Ferdinandi Orator Romam delatus, atque ad alloquium admissus.

Postquam Comes de Arco Ferdinandi Cæsaris Legatus die decima Februarii Romam venerat, cum ingenti lætitia ibidem receptus die decima septima ejusdem Mensis ad Pontificis alloquium vocabatur. Ea die omnes Cardinales, qui tum Romæ agebant, Patrum Senatui hanc in rem speciatim coacto intererant, moxque Comes ad publicum confessum admissus cum omnibus honorum significationibus tanto Principi, cujus personam sustinebat, necnon muneri, quod ejus nomine exercebat, debitis excipiebatur, quibus Comes mira oris suavitate, insigni urbanitate, atque officiosis reverentiæ, sub-

A a 2

missio-

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.